



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCXVI. Kaiser Ludwig verspricht alle Vertragspunkte, worüber Markgraf  
Ludwig von Brandenburg mit dem Könige Kasimir von Polen  
übereinkommen wird, genehm zu halten, am 6. Juni 1335.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCXV. Vertrag zwischen dem Kaiser Ludwig, dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg und dem Könige Casimir von Polen zu gegenseitigem Beistande und zur Vermählung eines Bruders des Markgrafen mit einer Tochter des Königs, vom 16. Mai 1335.

Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXV<sup>o</sup>. tertia feria proxima post dominicam cantate domino, fuerunt ista placitata per nobiles viros dominum nicolaum palatinum posnaniensem et dominum Jarizlaum de Nywin militem, Primo videlicet quod ipsius domini regis filia senior polonie debet copulari legitime duci Ludouico, nato domini Imperatoris, fratri domini marchionis brandenburgensis; et quod sic debebit utrobique certificari, quod non poterit in processu aliquo interrupti. Secundo debebit se idem dominus rex polonie confederare domino imperatori et domino marchioni brandenburgensi sic, quod fideliter ipsis cooperetur contra quemlibet hominem, cujuscunque conditionis existat, iure vel iustitia contentari nolentem, et etiam quod cum nullo aliquam amicitiam contrahere debebit idem dominus rex, domino imperatori aut marchioni contrariam vel prejudicalem. Tertio quod non debebit dominus rex aliquem dominum Marchionem dampnificare volentem per suos terminos sinere transire. Quarto debebit dominus rex parere decisioni quatuor viro- rum discretorum ad hec eligendorum, quorum duo ex dominio ipsius domini regis et duo ex terminis domini marchionis prenotati recipi debebunt super dampnis uniuersis, per familiares ipsius domini marchionis sibi illatis, qualitercunque illi tunc terminauerint, sic debebit ratum per ipsos dominos obseruari. Debeunt eciam ambo domini in die beati Johannis Baptiste proxime venientis conuenire, sic quod ipse rex in vigilia ipsius beati Johannis in velen et dominus marchio in waldenborg debet constitui, et mutuo ipso die prenotato ad terminanda preconcepta negotia et specialiter super dote et donatione propter nuptias et quomodo unus alteri necessitatis tempore obsequi debeat et subsidium inferre, que ipsis dominis et ipsorum arbitrio reseruate sunt, nullo impedimento penitus interueniente. In cujus rei testimonium sigilla predictorum nicolai posnaniensis palatini et domini Jarizlai de Nywin presentibus sunt appensa. Datum Vranchinfurth, die et loco prenotatis.

Nach dem Specialbuche des Geh. Kab. Archives I. C. 4. in quarto Bl. 10. — Gercken's Cod. I, 127.

DCCXVI. Kaiser Ludwig verspricht alle Vertragspunkte, worüber Markgraf Ludwig von Brandenburg mit dem Könige Casimir von Polen übereinkommen wird, genehm zu halten, am 6. Juni 1335.

Nos Lvdovicvs, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, uniuersis sacri imperii fidelibus presentes literas inspecturis constare uolumus harum serie literarum, quod illustri Ludouico, primogenito nostro karissimo marchioni Brandenburgensi, concessimus, dedimus et tradidimus plenam atque liberam potestatem, tractandi atque placitandi, componendi seu conferendi cum illustri et preclaro Katzmiro, rege Cracouie, su-

per omnibus factis, causis et negotiis nos uel imperium tangentibus, promittentes, quod nos uniuersa per ipsum placitata uel placitanda facta uel ordinata cum omnibus suis articulis, grata et rata tenere uolumus pariter et habere, nec non ipsa ratificare, confirmare et approbare literis nostre maiestatis, locis et temporibus oportunis. Datvm Nurenberg, die VI. mensis Junii, anno Domini MCCCXXXV. regni nostri anno XXI. imperii uero VIII.

Nach demselben Copialbuche. Fehlerhafte Abdrücke bei Ludwig, Reliq. manuscript. II, 291. und Buchholz, Gesch. V, 57., am letztern Orte mit dem Datum VI. mensis Julii.

DCCXVII. Vertrag über die Vermählung eines Bruders des Markgrafen Ludwig von Brandenburg, des nachmaligen Markgrafen Ludwig des Römers, mit Elisabeth, der ältern Tochter des Königs Kasimir von Polen, vom 20. Juni 1335.

In nomine domini amen. Anno a natiuitate ejusdem M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXV<sup>o</sup>. feria tertia ante natiuitatem sancti Johannis baptiste, fuerunt placitata et finaliter consummata in opido kunigesberg omnia infrascripta per nos comitem nycolaum palatinum posnaniensem, dominum Ottonem cancellarium polonie et Comitem Jarislaum castellanum posnaniensem inter magnificos et illustres katzimirum, regem polonie, et dominum Ludouicum, marchionem brandenburgensem. Primo quod illustris Ludouicus, domini Ludouici, romanorum imperatoris, tertio genitus, frater dicti domini Ludouici Marchionis, debet legitime copulari illustri elizabeth, filie seniori magnifici regis supradicti. Si predictus rex per honorabiles viros Comitem nycolaum palatinum posnaniensem, dominum Ottonem cancellarium polonie et dominum Jarislaum Comitem castellanum posnaniensem induci poterit, vt dicte filie sue nomine donacionis propter nupcias decem milia sexagenarum grossorum pragensium secundum cursum communem ferri posnaniensis, quo Grossi examinantur et mensurantur, velit erogare, medietatem eo tempore, quo copulati fuerint, in prompto persoluendam, Reliquam uero medietatem eo tempore legitime certificando domino imperatori et marchioni supradictis sufficienti et ydonea caucione infra annum et diem, qui dies pro sex septimanis reputatur, a copulacionis tempore computandam et persoluendam: Hec predicta si per dominum regem fuerint adimpleta, uidelicet quod summam decem milium sexagenarum superius expressam soluerit nomine donacionis propter nupcias; tunc illustris Ludouicus, tertio genitus antedictus, nomine dotis illustri Elizabeth ante dicte duo milia marcarum argenti brandenburgensis et ponderis in certis redditibus ex ista parte fluuii odere, que respicit poloniam, assignabit percipienda, quamdiu vixerit, pacifice et quiete, et hec in Aduocaciis et districtibus ciuitatum Landisberg et Soldin et in terminis pertinentibus ad eadem. Et si in huiusmodi aduocacia vel districtu defectus supplebitur dicte summe Ciuitates uero aduocaciarum vel districtuum predictorum promittent et omagium facient illustri Elizabethae predictae et nomine suo cui vel quibus promissum vel omagium